



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

3. *Ædificium Meritorum Quomodi construatur á Deo? & Quomodo ab
hominibus justis.*

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Et dicitur Ædificium non manufactum. Et quæ deinceps subjungit Apostolus de Vita in Cælis beata optimè intelliguntur. Est autem D. Chrysoptomi illa utilis observatio, S. Paulum miro artificio usum vocabulis, quibus ostenderet quantum futura præsentibus anteferenda sint: nam terrestri habitationi opponit cælestem; tabernaculo Domum non manufactam in cælis.

His adjuuge, cum Cælum optime tanquam Civitas concipiatur, Ad Hebræos XIII. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*: In eo quotquot sunt Cælites tot licet numerare Domos, operibus meritoriorum fabricatas: nempe, vel Gloriam & Beatitudinem, tam quoad Angelos, quam homines; vel Corpus gloriosum & vitam Beatam quoad homines; Neque Sapientibus Seculi planè incognitæ fuere Domus illæ cælestes. Certè, Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum postquam de iis differvisset, secundum Apostoli sensum, & dixisset: Justos, tanquam hospites & peregrinos animum ab luteis hisce domibus, quas inhabitant, & rebus omnibus, quæ sub sensum cadunt, abducere, mox profert Pindari sententiam, qui ajebar, impiorum infra cælum crebris cruciatibus divexari, & malorum veluti mole premi: piorum verò in cælo suam habitationem obtinere. Quid hoc est aliud, quam cælestem Domum incolere?

ARTICULUS III.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Quomodo construatur à DEO? & Quomodo ab hominibus iustis.

CORPORE mortali, tanquam Domo terrestri, dissoluta, seu, ut etiam vox (*) Græca sonat, destructa,
 Prima pars: N habe-

habemus inquit Apostolus, *Aedificationem ex DEO*, hoc est diuina beneficentia ac liberalitate, sine qua merces operibus meritorijs non redditur: immò & *Iustitia*; siquidem hæc *DEVM* ex pollicitatione obstringit; *Domum manufactam, eternam in cœlis*, quæ est *Ædificium meritorum*: de quo ita differit Tertullianus Apostoli sensum explanans, libello de resurrectione carnis cap. xli. *hoc quod dissoluetur caro nostra per passionem, domicilium conquirenturi sumus in cœlis. Meminerat Euangelica definitionis: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quorum illorum est regnum cœlorum: non tamen carnis resurrectionem negauit, si compensationem mercedis opposuit, cum ipsi compensationem debeat, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia Domum dixerat Carnem, eleganter voluit, & in mercedis comparatione vocabulo Domus uti: ipsi Domui, quæ dissoluitur per passionem, in meliorem Domum repromittens per resurrectionem. Hanc autem Domum iustus quilibet in hac vita sibi ædificat, ut in alterâ eam inhabitet, quando illam bonis operibus promeretur. Eandem ædificat *DEVS* quia ipse est principalis Architectus, sicut in quolibet opere meritorio princeps ac prima causa. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid, quod meritorium sit à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex *DEO* est: qui idoneos nos fecit cooperatores Architectonis suæ. Atque ideo fiduciam habemus per Christum ad *DEVM* 2. ad Corinth. 3. 4. 5. 6.*

ARTICULUS IV.

OBSTETRICES ÆGYPTIÆ

Aedificant sibi & Deus ædificat illis Domos.

CVM Rex Ægypti dixisset obstetricibus Hebræorum & mandasset: quando obstetricabitis Hebræas, & parturient